

## Imbroglione e creatività

## Personaggi in scena

PSEUDOLUS: servo di Simone, padre di Calidoro

- PSEUDOLUS Postquam illic hinc abiit, tu astas solus, Pseudole.
- 395 Quid nunc acturu's, postquam erili filio  
largitu's dictis dapsilis? Ubi sunt ea?  
Quoi neque paratast gutta certi consili,  
[neque adeo argenti neque nunc quid faciam scio.]  
Neque exordiri primum unde occipias habes,
- 400 neque ad detexundam telam certos terminos.  
Sed quasi poeta, tabulas cum cepit sibi,  
quaerit quod nusquamst gentium, reperit tamen,  
facit illud veri simile, quod mendacium est,  
nunc ego poeta fiam: viginti minas,
- 405 quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.  
[Atque ego me iam pridem huic daturum dixeram  
et volui inicere tragulam in nostrum senem;  
verum is nescio quo pacto praesensit prius.]  
Sed comprimundast vox mihi atque oratio:
- 410 erum eccum video huc Simonem una simul  
cum suo vicino Calliphone incedere.  
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas  
effodiam ego hodie, quas dem erili filio.  
Nunc huc concedam, unde horum sermonem legam.